



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

B. Franciscus Borgia Conf. 1. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

B. FRANCISCUS BORGIA CONF.
I. Octobris.

NON prius FRANCISCUS patrem
 aut matrem quàm *Iesum* & *Mariam*
 balbutiens salutavit. Puer vel facientem
 vel dicentem Sacerdorem æmulatus est.
 Iuvenis gynæceum non nisi cilicio arma-
 tus adiit, reputans se toties hosti loqui,
 quoties femina. Iam Gaudia Dux &
 Gothalanæ Prorex, pervetustum fami-
 liæ morem annum patronum lortendi
 in menstruum vertit, eumque in Socie-
 tatem postea, & Marianos cœtus in-
 vexit; ipse tunc patroni die pauperes
 mensæ suæ minister adhibuit. At verò
 cùm illud formæ miraculum (*Isabellam*
Augustam) in sandapilâ attentius con-
 siderasset, honorum titulos ut certissima
 mortis spolia ultrò abjecit, & in Socie-
 tatem *Jesu* (cui universæ deinde præ-
 fuit) se abdidit, dicere abhinc solutus,
 tum vivere se cœpisse, cùm desisset *Isa-*
bella. Corpus tam durè habuit, ut du-
 plicari jam & indumenta & cutis pos-
 sent. Ad Purpuram non semel oblatam
 tam erubuit, ut alii ad hujus repulsam so-
 lent. *MARIA*, quam *D. Lucas* depinxit,
 effigiem primus æri incisam spargi per
 omnem orbem curavit. Hanc cùm aspi-
 ciebat. *Mibi*, ajebat, *Virgo hoc onus ge-*
stat, mihi lac MATRIS, mihi FILII bul-
lit

2. Octob. VITÆ SANCTORUM. 619
lit sanguis. In vitam suam inquisivit ho-
ris singulis, reum ad Sacerdotis pedes bis
quotidie se egit, quin neque voce neque
literis alium se quàm *Franciscum peccato-*
rem prætulit. Sed talem peccatorem an-
no. M. DC. XXIV. Urbanus VIII. Pont.
Beatum dixit. *Ex vitâ.*

*Quis jam calcari recusabit, cum videat
in corculari Christum premi? sane nisi fu-*
rum vani honoris atque existimationis
proprie proculcaverimus, facilè ab hostibus
nostris conculcabimur, & Christi discipuli
esse desinemus. B. Fraac. Borg. in E-
pist.

S. LEODEGARIUS EP. M.

2. Octobris.

Nemo pulchrius in hostem suum,
quàm Pont. Augustodunensis LE O-
DEGARIUS movit, ut qui huic cum sa-
ceris è templo signis obvius ivit, victo-
riam ratus sub his vinci. Captus itaque,
tunc demum Christianâ se libertate po-
titum credidit. Carcerem tenebris ab-
ditus, igne è cælo misso resplenduit. O-
culis orbatus, primùm Martyrem se esse
vidit. Nudipes per testas & aspera saxo-
rum fragmina jussus ambulare, currere
etiam ad tam optatam metam gestiit. La-
biis & linguâ multatus, sine labiis tamen
& linguâ facundus ad concionem dixit.
Cæsus denique securi, in novos ani-
mos